



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 51. Univeristas ab Episcopo excommunicata, illiusque appellatio ad
Senatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul XVI.

§. LI.

A.C. 1575.

Universitas ab Episcopo excommunicata, illiusque appellatio ad Senatum.

*Argentre
pag 444.*

Die vigesima Junii Universitas apud Mathurinos conventum habuit, ut circa hanc Episcopi sententiam deliberaret, ubi etiam statutum fuit omnium ordinum consensu, provocandum esse ad Senatum ab Episcopi sententia, eo quod hic sua autoritate abuteretur, neque id, quod minabatur, auctoritate destitutus præstare posset: insuper statutum fuit, Cardinalem Borbonium privilegiorum Apostolicorum Academiae Conservatorem de ea re monendum esse, & ex singulis Ordinibus quosdam nominandos, qui in hoc negotio Rectori comitatum præberent: id quoque effectui datum, ac die vigesima secunda ejusdem Mensis Rector Academiae cum amplissimo comitatu a Cardinale Borbonio postulavit opem adversus protervos insultus, & iniquas Episcopi Parisiensis comminationes. Postea die secunda Augusti anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto januis clausis peroratum est inter Episcopum Parisiensem, & Academiam, quæ appellaverat a sententia excommunicationis lata ab Episcopo Parisiensi, ubi dein
Senat-

Senatus edicto privilegia Facultatis Theologicæ confirmata sunt, & Episcopi Parisiensis sententia nulla, & irrita declarata est, utpote lata ex injusta causa, & contra privilegia Universitatis: porro ab illo tempore Maldonatus Parisiis Theologiam tradere cessabat, Bituricum secedens, ubi Jesuitæ jamjam Collegium possidebant: ibidem vero explanandis sacris literis operam dabat, simulque quibusdam suis operibus, quæ ad nos transmissa fuere, postremam manum admovebat: insuper in hoc suo recessu commentarium in quatuor Evangelistas, & in Prophetas minores conscripsit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.

§. LII.

Sævissima pestis in Italia.

Hoc anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo sexto Italia ex illis pœnis, quibus Deus justam suam vindictam exerere solet, funestissimam experiebatur; quippe sævissima pestis Romæ anno priori initium, occasionem vero ex frequentissimo Peregrinorum, qui omni ex parte pro obtinendis anni sacri gratiis confluebant, numero sumpterat, atque intra brevissimum temporis spatium sese per totam Italiam diffuderat, tam horrenda strage, qua atrocior nec hominum memoria re-

Spond. hoc
ann. n. I.
Thuan. l. 62.

Hist. Eccles. Tom. XLIX. X cole-